UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rev: Et Eximii Patris P. Francisci Aloysii Kamperger E Societate Jesu Ss: Theologiæ Doctoris ejusdémque olim in Carolo-Ferdinandæa Universitate Pragensi Professoris Publici & Ordinarij Dein ...

Kamperger, Franz Alois

Eystadii, 1705

Reverendissimo Ac Celsissimo Domino, Domino Joanni Antonio S.R.L. Principi Et Electo Episcopo Eystettensi. Domino Clementissimo suo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-84291

Visual Library

REVERENDISSIMO AC CELSISSIMO
DOMINO, DOMINO

JOANNI ANTONIO

S. R. I.

PRINCIPI

ET
ELECTO

EPISCOPO *EYSTETTENSI.*

Domino Clementissimo suo.

REVERENDISSIME AC CELSISSIME S. R. I.

PRINCEPS

DOMINE, DOMINE CLEMENTISSIME.

PAtere, Clementissime PRINCEPS, ut primis sub auspicijs felicissimi Regiminis Tui, inter publica applaudentis Patriæ vota typus quoque meus Celsitudinis Tuæ thronum ausit accedere, quot notas ille in se ac characteres numerat, totidem titulis ac nominibus honoribus Tuis ex integro devotus. Ut taceam officium meum, quô subditus Domino, ovicula obligor Pastori, videtur ipsum Cœlum imposuisse mihi necessitatem, ut nulli, præterquam Tibi, opus hoc Theologicum dedicarem; cùm enim Tu unus unicus is fores, in quem, tametsi diversa arderent partium studia, in dignissimum quemvis intenta, nihilominus primo statim scrutinio collimabant ter auspicati eligentium calculi, fieri non potest, ut non persuasissimum mihi habeam, Te Divino potiùs ductu ac Consilio, quàm humano quopiam politicæ artis invento Pastoralis solij verticem conscendisse: ut adeò vel Ipse Dexteræ Divinæ Digitus designet mihi, cujus sub auspicijs imponerem operi meo coronidem, cujus vertici nimirum Ipse imposuisset Pastoralis Gloriæ Tiaram. Accedit totius Patriæ justissimum juxta ac Commune Votum, quô coli Te prælo meo unicè desiderat, nec imprimi Cedro tantùm, sed æri perennaturo addictissimum affectum suum erga Te Patriæ Patrem, ovium Pastorem, subditorum Dominum ac PRINCIPEM Clementissimum, quem amat unicè, cujus legit vestigia, cujus nutum suspicit, ac imperia veneratur. Et quidnî id postulet à me Jure quàm æquissimo? etenim si summam Prudentiam Tuam, magnorum Principum ac Heroum Nostræ Ætatis calculo comprobatam, si singularem liberalitatem plurimorum in dies pauperum altricem, si gubernandi dexteritatem omnium, quæ propemodum sunt in Europa, aularum sedula inspectione acquisitam, si animi excelsi constantiam, si indefessam pro subditis solicitudinem, si acutissimam limati Ingenij perspicaciam, si scientiarum omnium humanarum æquè ac Divinarum plenam possessionem, si hæc singula pensiculatè consideret, uti considerat ingeniti cum solatio applaudens sibi Patria, aliud polliceri desiderijs suis nec potest nec debet, quàm post ferreum Martis sæculum, in quo hactenus gemebat, redituram aureæ Felicitatis Ætatem, quæ subditis Salutem, Patriæ tranquillitatem, Diœcesi Nobilissimæ splendorem vel reddat ablatum, vel pristinum ita conservet ac stabilitat, ut ferat ætatem, ac perennet æternùm. Neque hujusmodi laudum prærogativas assentationis potiùs, quàm sinceræ veritatis studio à me adducta existimes. In Testes Prudentiæ Tuæ Orbi sese offerunt Universo Serenissimæ Domûs Badensis Heröes Nominatissimi, quos Tu non Verborum minus efficacissimâ suadâ, quàm prodromo operis exemplo ad illud dignitatis fastigium eduxisti, in quo collocatos modò, ceu summa belli Numina, suspicit, & adorat Imperium Romanum Universum. Pro Testimonio Scientiæ Tuæ loquuntur & clamant etiamnum celeberrima Collegij Germanici Rostra, è quibus ad Eminentissimos Ecclesiæ Romanæ Præsules hactenus declamare nulli licuit nisi qui Ipse in summis Scientijs esset Eminentissimus; cujus facundiæ Tuæ testis oratio, tanquam pretiosum cymelion, etiamnum in illo Orbis ac Urbis Athæneo diligentissimè asservatur. Confirmant indefessam pro subditis sollicitudinem Reverendissimi Augustani Capituli subjecta municipia, quæ turbulentissimis Temporibus, medias inter hostium immites deprædationes, nisi Tuâ unius agendi solertiâ, evincendi dexteritate fuissent defensa, actum cum ijs nunc foret, neque ab extremo rerum fortunarúmque suarum exitio latum ampliùs pedem abessent: quòd absint, id Tuæ gratis animis debent tribuúntque solertiæ. Ut nihil commemorem de Sanguinis Tui splendore Nobilissimo, qui inter fumosas Majorum Tuorum ceras tanta relucet Pulchritudine, ut summorum Orbis capitum oculi hac luce perstricti in unum id intendant, quô possint antiquissimæ Prosapiæ Tuæ, quinto abhinc Sæculo in Wormatiensi Equitum Conventu jam celebris, Nobilissimos Viros ad summa honorum atque officiorum fastigia evehere, persuasi, hac ratione à Sanguinis Tui Nobilissima Luce Lucem splendorémque in aularum suarum penetralia reverberari. Quantam nunc Spem concipere possit Diœcesis nostra Eystadiana ex Principe tam præclaro, in quo Virtus cum Nobilitate de primatu contendunt, ijs relinquo judicandum, quorum calculus citra affectationem sincerus talis est, qualis haberi solet de Viris maximis, summísque. Talem Tantúmque Clementissimus DEUS (quod precari nunquam desinam) Te amantissimum nobis Parentem, Te Romano Imperio PRINCIPEM, Te Diœcesi nostræ EPISCOPUM, totíque Ecclesiæ CHRISTI diutissimè superstitem esse concedat, bono Bonorum omnium. Eystadij octavo Calendas Majas. An. reparatæ Salutis à partu Virgineo. M.DCC.V.

Subditorum tuorum Infimus

Franc: Strauß, Typ: Aul: